

nefas. Quia dum ita sunt, longe lateque diffunditur in clerum et venalis prostat "publicatio" quadam seu commentum quod primum dispescitur in articulos, commentarii ejusdam periodici mox colligendum in volumen et librum. Tertium enim operis volumen in promptu mihi est in cuius fine prænuntiatur quartum quintumque volumen eodem spiritu affilante conceptum.

"His periodicis ephemeridibus, pluribusque inde conficiendis tomis permansuris, magna violentia lacessitur plurium pontificum defunctorum carissima nobis memoria, plures e præcipuis institutionibus quarum beneficiis regio nostra ditatur, delegati Sanctæ Sedis et nonnulli episcopi adhuc superstites virique ecclesiastici. Quum ipse ego nominatim impigner, utor jure meo dum coram Patribus Concilii venerandis in episcopatu collegis meis vocem extollo contra ea quæ sparguntur in vulgus indiscreta, importuna, incompleta, partium studio arbitrioque selecta, contumeliosa, iniusta, indeque nihil boni unquam oritur, neque enim alio tendent nisi ut relinquant astu inutiles disputata quondam et dividant, mirante populo non plene iis de rebus edocto, institutiones, clerum, ipsos episcopos inter varios eorum plus minusve secretos proportionem puritatis fidei, devotionis erga Ecclesiam, submissionis erga Sedem Apostolicam, dum eodem universi amore prosequimur Papam, Ecclesiam, animas. Quare protestor contra editas "Voces Canadenses" sic enim dicuntur et: "Versus abyssum," et contra conatus quibus hæc sparguntur apud nos".

Proponente Jolietensi, Javente Quebecensi, permittunt Patres ut officiales Concilii, promotores, secretarii cujuscunque gradus, notarii, magistri, ceremoniarum, cantores, ostiarii, cursores partem habeant in commissionibus et congregationibus synodalibus. Excellentia Sua annuit optantibus ut ipse adjutus a Quebecensi suam singulis officialibus commissionem assignet. Statim Excellentissimus Praeses proponit quæstionem de Ruthenis: Reverendissimus Archiepiscopus ea de re a Se interpellatis placuisse ut Patres Concilii plenarii investigarent quia potissime vires illa tam gravis ad felicem perduceretur exitum. Rogante Excellentia Sua Reverendissima, Illmi Langevin, Archiepiscopus